

dicens id communiter tenari, & pondera rationem in gloss. nostra expressam, quia talis Delegatus ad universitatem causarum quasi Ordinarius videtur: & cum gloss. concordant hic Hostiens. numer. 3. Joann. Andr. numer. 6. Butr. numer. 11. vers. Hoc vera licet: & Reliqui omnes: & sic non est verè, & propriè Ordinarius, sed Ordinatio similis, ut per Jason. in dict. l. More, numer. 19. circa medium, vers. Et idè respondendo, & tenet univ. Ordinarii, ut inquit Butr. ubi supra: & Ordinarius, & Delegatus ad universitatem causarum aequiparat gloss. 1. in l. fin. Cod. de iudic. Bart. in dict. l. More, numer. 9. vers. Venio ad fin. ff. de iurisdic. omni. iudic. & ibi etiam Jason. dicto numer. 19. Alexand. consil. 12. Vso praescripto, numer. 4. libr. 6. Felin. alios cumulatim in cap. Quater, & quando, il primo, numer. 40. de accusat. Bald. in l. 31 ut proponit, la prima, numer. 10. Cod. quomod. & quando. iud. ubi ait Delegatus ad universitatem causarum, cum remaneat in essentia jurisdictionis universalis, idem potest quod Ordinarius. Quinto gloss. appellat eum Ordinarium in cap. Statutum, §. Insuper, in verbis Modestatis, de rescript. lib. 6. prout illam gloss. ad hoc ponderat sal. loco citato. Item Speculat. in titul. de offic. Ordinarii, numer. 2. ait Ordinarium dici cui universitas causarum est commissa: & idem dicit Petr. de Anchazan. in cap. Licet nobisque, col. 2. ad finem, vers. Nec mirum, de offic. Delegat. Quo fit ut a sententia Delegat. ad universitatem causarum non appellatur ad Delegantem, quali idem sit tribunal, sed ad Superiorem ipsius Delegantis, ut leg. 1. in finem ff. Qui & a quib. appellat. & argum. cap. 2. de consuetud. libr. 6. de leg. final. Cod. de offic. Visar. & notat Jason. in dict. l. More, numer. 19. circa med. vers. Et idè respondendo, ff. de iurisd. omni. iudic.

8 Hinc sumpta occasione QUÆRO, An Auditor Nunci Sedis Apostolicæ possit cognoscere causas ad Nuncii forum pertinentes, quamvis non habeat qualitates requisitas in cap. Statutum, de rescript. libr. 6. nec sit deputatus in Synodo diocesana iuxta Decretum Concilii Tridentini cap. 10. §. 25.

9 Si queratur de causis appellationum à sententia Episcopi, vel ejus Vicarii in criminalibus lata, jam Sacra Congregatio declaravit Auditorem Nuncii non posse eas cognoscere, ob stareque cap. 2. §. 13. Ac postea adiecit sententiam Auditoris in causis hujusmodi appellationum latis ex communi errore non sustineri: & hæc declaratio auditis partibus edita missa fuerunt ad Nuncium Florentiam.

10 Quoad alias causas appellationum non comprehensas in dicto cap. 2. remanet dubium, an Auditor Nuncii eas possit cognoscere, quamvis nec sit in dignitate ecclesiastica constitutus, nec in Synodo Diocesana deputatus iuxta dictum cap. Statutum, & Decretum Concilii dicti, cap. 10. In qua difficultate Corneus in consil. 48. Repetito Divino Nuntio, lacrimè discussa in 2. dubio, numer. 31 veliam, 1. aperte sentit Auditores Legatorum etiam de latere non habere ordinariam jurisdictionem, sed tantum delegatam, redditque optimas rationes, inter quas ea est præcipua, quod

12 Legati aequiparantur Proconsulibus Provincia- rum, cap. 2. de offic. Legat. libr. 6. Legati autem Proconsulibus delegatum habent, non ordinariam jurisdictionem, leg. Legati Proconsul. ff. de offic. Proconsul. Que opinio si vera sit inde sequitur, ut ipsi Auditores causæ committi non possint, nisi concurrant in eo qualitates d. c. Statutum, & decreti d. cap. 10.

Verum quia hæc opinio totum fere orbem commoveret ob innumeratas propotodum sententias latis, & quæ passim feruntur ab Auditoribus Nunciorum non habentibus has qualitates, videtur potius adhaerendum sententia, ut Auditores Nunciorum sint Ordinarii, & sic neque comprehendantur in cap. Statutum, neque in Decreto Concilii. Ad quod probandum adducitur Bald. in l. final. numer. 4. Cod. ubi Senat. & clerici, qui tamen id magis præsupponit, quam discutit; non enim ibi querit an sint Ordinarii, sed præsupponens duos Auditores Cardinalis Sabiniensis esse Ordinarios, querit an ex eo, quod non cognoscerebatur causas nisi ex delegatioe specialiter, celerentur delegati, & putat non censeri Delegatos, sed Ordinarios, quia illa est potius distractio causarum, ac petitio curæ, quam vera delegatio. Que doctrina vera quidem est posito quod sint Ordinarii: Nam ex illa speciali commissione non efficiuntur delegati. Quod scripserunt Pavin. in trad. de offic. & prestat. cap. sed. vacans, in 2. quest. prima partis princip. numer. 4. Vant. in tractat. de nullit. tit. Curam qua, numer. 14. Verum Bald. ut dictum est, ibi non disputat an sint Ordinarii, vel Delegati sed tantum supponit esse Ordinarios, sentiens ex speciali commissione non effici ex Ordinariis Delegatos, sed remanere Ordinarios, ut prius erant. Quod potuit contingere, quia forte à Principe essent constituti Ordinarii, & deputati Auditores Nuncii, sed quia hoc est divinare, ideo Bald. pro hac sententia simpliciter referunt Jason. in l. ex hoc iure, ff. de iust. & iur. numer. 8. in quarta limitatione. Felin. in cap. sicut, & alij, vel in cap. Nonnulli, §. sunt & alij numer. 49. vers. Pro ista opinione de rescript. Joann. Bapt. Extrin. consil. 204. numer. 10. 20. & sequen. & Pavin. dicto loci numer. 3. in fin. Hæc itaque opinio videtur esse communior, & certè tutior est, quam usus, & praxis quotidiana comprobavit; licet opinio Cornel. in puncto juris forte videri possit verior, & solidioribus mixta rationibus, ex qua opinione communi sequitur resolutio ad dubium: Nam cum Auditores Nunciorum ex prædicta opinione sint Ordinarii, in eis non potest habere locum cap. Statutum, nec text. Concilii loquens de iis, in quibus deleganda sunt causæ, quamvis enim Nuncius est specialiter causas committat, ex Ordinariis non effici propterea delegatos sentium Doctores citati à Vant. & Joann. Franc. Pavin. in locis supra allegatis.

14 Præterea etiam hujusmodi Auditores esse delegati, non tamen videntur in eis habere locum cap. Statutum, & Decretum Concilii loquentis de causis delegandis: nam Delegatus ad universitatem causarum aequiparatur ordinario, & tenet gloss. penult. hic, & fuisse ostensum est supra numer. 4. Concilium verò jure

jure voluit, ut tam Sedis Apostolicæ Nuncij, quam Legati causas in partibus committendas personis designatis in Synodo committerent, ne ex ignorantia personarum rudes, & ignari ad causas cognoscendas delegarentur. Que ratio non procedit in Auditore Nuncij, qui ab iplo ad causam universitatem deligitur.

Ad hæc ita Concilium videtur esse intelligendum ex consuetudine ita observata, quæ est optima Concilij interpres, l. si de interpretatione ff. de legib. cap. Cum dilectis de Consuetudin. Nam semper Auditores etiam non designati in Synodo, & non præditi qualitatibus requisitis in cap. Statutum, causas cognoverunt, & deciderunt. Quæ omnia in dubium revocarentur, si exceptio nullitatis ex hoc capite esset admittenda. Valide igitur, nisi aliud obstat, esse videntur hujusmodi sententia ab Auditoribus Nunciorum lata, sed ad tollendam omnem difficultatem expetere videtur, ut Sanctitas sua, si ita ei visum fuerit, per Breve eidem Nuncio directum declaret licuisse Auditori prædicto à Nuncio electo, & deputato hujusmodi causas cognoscere, quamvis non habeat qualitates requisitas in cap. Statutum. Nec esset in Synodo Diocesana deputatus. Atque ex hoc capite sententias ab eo latis, ac ab eo, aliisve Auditoribus de cetero ferendas minime impugnari, aut nulla dici posse, vel debere.

DE CONFIRMATIONE  
Vtili, vel inutili.  
Cap. Si quis.  
S V M M A R I V M.

- 1 De re scienter confirmata per Papam iudex inferior non cognoscit, nisi tempore confirmationis res esset litigiosa, vel confirmatio aliis subreptitia.
- 2 Confirmatio rei litigiosa etiam ex certa scientia, non facta mentione litis, est ipsi iure nulla, nec impedit iudicem in causa procedere.
- 3 Declaratur num. 17.
- 3 Imperator subscripsit privilegij, vel beneficij, non valet.
- 4 Iudex potest in causa procedere non obstante privilegio postmotam litem impetrato, si in eo litem mentione facta non fuerit. Aliis scilicet, & num. 17.
- 5 Possidere quis non dicitur rem pacifice, si super ea questio sibi moveatur.
- 6 Litigiosa res est, de cuius dominio causa moveatur inter petentem, & possessorem iudicariarum conventionem.
- 7 Idem si causa moveatur de quasi dominio directo, vel utili.
- 8 Litigiosi virum non nascitur super bonis, si actio personalis fuerit intentata.
- 9 Litigiosi virum non inducitur super proprietate, si litem moveatur super possessione.
- 10 Possessio tamen efficitur litigiosa.
- 11 Confirmatio ex certa scientia quando dicitur, & num. 28. & 29.

- 12 Confirmatio in qua inseritur tenor vel confirmata, dicitur in forma specifica.
- 13 Confirmatio, in qua exprimitur substantia rei, probat absque eo, quod doceatur de confirmato.
- 14 Confirmatio ex certa scientia ligat manum iudicis, quominus possit cognoscere de questione exorta super re confirmata.
- 15 Nisi constet notorie confirmationem esse subreptitiam, & num. 17.
- 16 Index inferior non cognoscit de questione, an confirmatio Apostolica sit valida, necne.
- 17 Et quid post Conc. Trid. num. 26.
- 18 Confirmatio in forma communi, que fit.
- 19 Parum, aut nihil operatur.
- 20 Non impedit iudicem cognoscere de re confirmata.
- 21 Ad quid impetretur, num. 22.
- 22 Dat causam, & tunc legitimum præferendum num. 23.
- 21 Confirmatio sine cause cognitione an sit vera, vel falsa, solum Papa cognoscit, & num. 26.
- 24 Concordia à Sede Apostolica confirmata non sunt sublata à Conc. Tridentino, §. l. 25. & num. 34.
- 25 An hoc procedat tantum in confirmationibus ex certa scientia, an verò etiam in confirmationibus in forma communi, & num. sequ. usque in fin.
- 26 Confirmationum Apostolicarum Concilium Tridentinum non meminit, nisi in cap. 14. §. l. 24.
- 27 Confirmatio in forma communi, & ex certa scientia in quibus differant.
- 28 Confirmatio an sit ex certa scientia, si fiat cum clausula, sicut iuste possides.
- 29 Et quid si cum clausula, ex certa scientia.
- 30 Confirmatio ut suos producat effectus, duo requiruntur, id est ut fiat ex certa scientia, & cum causa cognitione vocati partibus.
- 31 Iuramentum est fortius vinculum, quam confirmatio in forma communi, & firmat actum invalidum.
- 32 Concordia, ut sint reales, & obligent successores, debent esse confirmata ex certa scientia: aliis sunt personales.
- 33 Per Confirmationem in forma communi Papa non censetur præiudicare Ordinariis.
- 35 Confirmationis appellatio in dubio venit illa, qua fit ex certa scientia.
- 37 Concordia à Sede Apostolica confirmata in forma communi intelligitur derogatum à Concilio Tridentino etiam si cum ea concurrat immemorabilis consuetudo.
- 38 Consuetudines à Sede Apostolica confirmata an Concilium Tridentinum sustulerit.

SI QUIS. De re scienter confirmata per Papam iudex inferior non cognoscit, nisi tempore confirmationis res esset litigiosa, vel confirmatio alias subreptitia. Hoc dicit cum cap. seq. & sunt duo dicta, secundum ibi, sed ff.

Nota primò ex prima parte textus, confirmationem à Sede Apostolica impetratam lite pendente, nullam esse ipso iure, adeo ut ea non obstante possit iudex causam cognoscere, ac diffinire perinde, ac si confirmatio non emanasset, ut hic notant Abb. & Decius ambo in primo notab. Quod verum est etiam si confirmatio emanaverit à Papa ex certa scientia, & cum causæ cognitione: de hac enim



enim intelligunt hanc textum Abb. Antiqu. Joann. Andr. Bald. Bellam. Cardin. Anchar. Abh. & Joann. de Anan. omnes in princip. & bene, quicquid dicat Decius hic in 3. not. nam cum textus dicat iudicem posse cognoscere, si confirmatio sit rei litigiosa, & non posse cognoscere, si sit rei pacifice possessa; utique necessario supponit utroque casu confirmationem emanasse ex certa scientia; alias enim si sub communi forma, sive res esset litigiosa, sive non, indistincte posset iudex in causa procedere, ut et tangitur in glos. ult. num. 14. & hoc est ex mente Innoc. dicentis hanc intellectum esse planiorem, num. 1. vers. Planior est intellectus, Prædicta tamen procedunt dummodo in litteris confirmationis non sit facta mentio litis pendente; tunc enim confirmatio respectu illius rei, super qua lis vertitur, est subrepticia, & ipso jure nulla, cap. Ad nostram, ibi denuncietis irritus, & inanes, & cap. Porrecta, ibi, Denunciet non valere intra eodem. Et est communis regula non solum in confirmationibus, sed etiam in privilegiis, beneficiis, ut impetratio subreptitia non valeat, ut notat Calderin. in cons. 1. de feud. Dec. hic num. 3. & scripti plenè in cap. Ad audientiam il secundo post Abb. & Felin. supra de rescript. Et tenet hic Innocen. num. 1. vers. Imo quod plus est, dicens, iudicem posse procedere non obstante privilegio post motam litem impetrato, in quo litis mentio facta non fuerit, per cap. Causam, il secundo supra de testam. secus vero si in confirmatione, vel privilegio diceretur, non obstante quod res sit litigiosa; quia tunc illa causa eriperetur à jurisdictione iudicis inferioris, ut cap. In, ibi, de dicta questione facta mentio non fuisset, supra, Vt lite pendente, secundum Innocen. hic num. 1. cui subscribitur Holt. eodem num. vers. Sed secundum Dominum nostrum, Joann. Andr. numer. 5. Butr. Imol. Abb. & Dec. omnes in primo not.

5 Secundo nota tibi, sed si rem tunc pacifice possidebat, quem non dici pacifice rem possidere, si super ea questio sibi moveatur, ut hic notant Butr. & Imol. ambo in ult. notab. Abb. num. 3. & Decius num. 19. Cardinal. in Clem. Gratie, in 13. quest. de rescript. Archid. Jo. Andr. & Gemin. in cap. Commissis, de elect. lib. 6.

6 Adverte tamen, quia per hoc res ipsa non efficitur litigiosa, nisi questio, seu lis moveatur inter petentem, & possessorem iudicialia conventionem dicit text. in auth. Litigiosa, Cod. de litigios. & ibi notant Jacob. Butricar. Bald. & Salvect. omnes in Summario, Oldrad. Cyn. uterque num. 1. Petr. de Bellapert. vers. Dicit enim, Holt. in cap. Ecclia s. Maria num. 2. supra ut lite pendente.

7 Et idem dicendum si lis moveatur super quasi dominio directo, vel utili, puta per Publicianam rem actionem, vel aliquam utilem rei venditionem, ut notat glos. in d. auth. Litigiosa, in ver. Domino, Odofred. Bellapert. & Holt. loci citati. Secus vero si actio personalis fuerit intentata, quia ex hoc super bonis vitium litigiosi non nascitur, ut est textus in l. Quamquam, s. Iulianus, ff. de aqua pluviar. & voluit Rota decis. 173. numer. 6. par. 7. & Recent. Item secus si questio moveatur super

possessione, quia per hoc vitium litigiosi non inducitur super proprietate, & ita intelligas glossam primam, hic secundum Abb. numer. 5. Alberic. in d. auth. Litigiosa num. 1. Cassador. decis. 6. num. 2. de rescript. Sa. nen. in regul. de Trimal. quest. 13. num. 8. Sed tamen possessio ipsa, super qua movetur contraverfa, efficitur litigiosa, & ita procedit hoc cap. ut declarat Abb. d. num. 5. vers. Secundo potest, Craver. in cons. 279. de rescript. alias num. 3. vers. Præsupposito; & fuit reclusum in Rota, ut refert Lancellott. de Attentat. par. 2. cap. 4. in præfat. num. 493.

11 In glossa ultima nota confirmationem esse in duplici differentia. Alia est, quæ conceditur ex certa scientia, & cum quæz cognitio, ne veluti, cum totum negotium fuit Papæ reservatum, & ipse nulla conditione adjecta simpliciter confirmat; tunc enim intelligitur confirmare ex certa scientia, ut hic firmat gloss. nostra post medium vers. Et hoc intelligitur

12 Abb. antiq. numer. 3. & Abb. Sicul. num. 6. vers. & dicitur ex certa scientia, & idem est si in litteris inferatur tenor rei confirmatæ, cap. Venerabilis, infra eodem. Rot. in Rationibus. decis. 157. num. 8. par. 6. quo casu dicitur confirmatio in forma specifica, ut per Rotam decis. 222. numer. 12. & 13. par. 7. Recent. & ubi fuit expressa substantia rei, confirmatio probat abique eo, quod debeat de confirmato, ut decidit Rota decis. 36. num. 1. & sequent. par. 2. divers. & decis. 225. numer. 22. par. 7. Recent. Et talis confirmatio habet tres effectus, quos notat gloss. in cap. Cum accessissent, in ver. Confirmatum, supra de Constitut. & fusius persequitur Abb. hic num. 6. & 7. Sed quod pertinet ad textum nostrum, hæc confirmatio ligat manus iudicis, quòminus possit cognoscere de questione exorta super re confirmata, sine mandato Papæ, ut hic est casus in fine; & ita intelligi debet Vincentius hic allegatus in glossa ultima, nisi tamen confirmatio sit subreptitia, puta, quia fuit obta super re litigiosa non facta mentione de lite, vel alio modo peccat in subreptione; tunc enim quamvis iudex inferior non possit cognoscere de questione orta, an ipsa confirmatio valeat, necne, secundum opinionem Laurentij, quam dicit veram Bernardus hic in ultim. gloss. ante medium, vers. Et Laurentius dicit: & tacite approbavit Tridentina Synodus in cap. 14. sess. 24. ut dicam infra, num. 26. tamen non impeditur cognoscere de re confirmata, quia si certum esset confirmationem fuisse obtenantem per falli suggestionem, impetratio non valeret, ut cap. proxima, infra eodem; & probatur hic in prima parte textus, & fuit opinio Tancredi, quam hic sequitur gloss. ultim. in fine, & Rota decis. 351. num. 14. par. 6. Recentior. Ad hoc tamen requiritur, ut notorie constet de vicio subreptionis, puta ex partis confessione, vel ex tenore ipsius Bullæ, secundum Innocen. in cap. sequent. in fine, & Abb. num. 8. vers. Et hoc intelligit, & vide quod legitur, & notatur in cap. Cum venissent, supra de iudic.

18 Alia est confirmatio, quæ conceditur in forma communi, videlicet adjecta conditione, si iustè, canonicè, aut providè factum sit, vel

vel alia consimili, ut per Abb. hic num. 6. vers. Et dicitur, quæ hodie in confirmationibus statutorum, & privilegiorum ex stylo consuevit exprimi per illam clausulam, Dummodo sacris Canonibus, Tridentini Concilij Decretis, & Constitutionibus Apostolicis non adversentur; & talis confirmatio, seu innovatio nihil novi juris tribuit iuribus hic allegatis in glos. 2. eamque parum, aut nihil valere asserunt hic gloss. ult. Abb. Antiq. num. 2. vers. Aut non apponitur. Bald. num. 2. Abb. Sicul. num. 6. & passim alii.

20 Cassador. decis. unice hoc titulo. Rota decis. 84. numer. 8. par. 7. Recent. Unde per huiusmodi confirmationem non præcluditur via iudici ordinario cognoscendi de validitate juris confirmati, cap. Bona, infra eod. & c. Quia diversitatem, de concess. præben. & in hoc conveniunt omnes; & est ratio secundum glo. 2. quia Summus Pontifex censetur hæc facere sine alicujus præiudicio, ut patet in iuribus præallegatis; & in c. final. ubi gloss. un. infra eod. Bald. hic num. 10. Rota decis. 356. num. 19. par. 6. Recent. Caterum est iudex, ut prædixi, non impediatur cognoscere de validitate juris confirmati, tamen si questio sitan confirmatio ipsa obta sine cause cognitione sit vera, vel falsa, solus Papa cognoscit, ut post Innoc. firmat Bald. hic num. 5.

22 Sed dices, Ad quid ergo prodest talis impetratio? Respondeo cum gloss. 2. & Abb. num. 6. parum prodesse, & impetrationem fieri ad cautelam, ne videatur sine scientia Papæ processisse, & ad hoc ut ob illius reverentiam magis timeatur, arg. c. Quamquam, 23. dist. Adde tu alium effectum valde notabilem hujus confirmationis, vel privilegij sub communi forma, quem tangit Abb. Antiq. hic num. 2. vers. Sed dic. & in c. Dudum, num. 22 vers. Est est nota dignum, in ver. de decim. quia scilicet dant causam, & titulum legitimum præferendi ad hoc c. Cum persona, s. Quod si tales, de privil. lib. 6.

24 QUÆRO, postea decisione S. Congregationis Concilij, quæ declaratum fuit, concordias à Sede Apostolica confirmatas non esse sublatas à decreto Conc. Trident. 4. sess. 25. An huiusmodi decisio vendicat sibi locum in confirmationibus tantum, quæ emanarunt ex certa scientia, & cum cause cognitione; an vero etiam in confirmationibus in forma communi.

26 Confirmationes Apostolicæ ex certa scientia emanatæ nullo casu per Conc. Trid. videntur sublatae: observandum est enim de confirmationibus Apostolicis expressam mentionem haberi dumtaxat in cap. 4. sess. 24. ubi solum tribuitur facultas Ordinariis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis cognoscendi de earum subreptione, & obreptione, & intentionis defectu; quæ facultas aliis Episcopis non competeat, in cap. prox. infra eod. & dictum est supr. num. 16. & 21. Quippe Patres Concilij pro debita reverentia de provisionibus Apostolicis iudicari noluerunt, nisi mature, & Apostolica autoritate, quæ reverentia in plurimis eisdem Concilij decretis elucet.

27 Pro solutione dubij præmittendum videtur, hanc distinctionem Confirmationum esse legalem, ut patet in c. Quia diversitatem de concess. præben. & in cap. Illa, ne Sed. vacan. qui

bus in locis sit expressa mentio de confirmationibus in forma communi ad differentiam aliarum, quæ emanant ex certa scientia, & cum cause cognitione. Item esse realem, & diversos inter se effectus producere, ut per gloss. in dictis iuribus, & in cap. Pastoralis, s. Præterea de Offic. deleg. Holt. in summa de confirm. util. vel inutil. Cassador. decis. un. eod. tit. & patet ex dictis supra num. 11. & 18.

28 Præmittendum secundo ad discernendas invicem has confirmationes, tradì à Doctores, & glossis regulas, nec esse tutum dicere illas esse in forma communi, in quibus apposita est clausula, sicut sine pravitate, vel sicut iustè possidet, ut dicebat Abb. Antiq. hic num. 2. quia hæc verba possunt sumi conditionaliter, & casualiter, ut notat alter Abb. in cap. Venerabilis, & in cap. Examinata, in fin. infra eodem. Quem admodum neque omnes, in quibus ponitur clausula, ex certa scientia, negant esse in forma communi, ut per eundem Abb. & apertius Paris. cons. 19. numer. 12. volum. 1. post Arcin. cons. 15. Nam duo copulativè requiruntur, ut confirmatio Apostolica suos producat effectus, nempe ut fiat ex certa scientia, & cum cause cognitione vocata partibus, ut plenè per Rotam decis. 166. numer. 45. 8. & 14. par. 5. Recent. Denique præmittendum, quantum attinet ad propositam questionem, confirmationes in forma communi illas intelligi, quæ novum jus tribuunt, nec firmanr ea, quæ aliàs sunt ex invalida, juxta communes traditiones, & constar ex dictis supra num. 19.

His præmissis ad propositam questionem respondetur, has confirmationes in forma communi censeri sublatas, sive afficiant concordias sive statuta, seu alia, quæ per Conc. Trident. expressè tolluntur tam in c. 4. sess. 6. quam alibi.

31 Probatur primo juramentum esse fortius vinculum, quam confirmatio in forma communi; siquidem illud firmat actum invalidum. Auth. Sacramentum a pube. c. si advers. vendit. Paris. cons. 133. num. 24. lib. 1. post glos. & Doctores hic, & in c. dilecta infra eod. At Concilium tollit vinculum juramenti, non obstante, quod præsupponat aliud vinculum præcedens, sive sit statutum, sive concordia, super qua interponitur. Ergo etiam confirmationem in forma communi.

32 Secundo Concilium secundum declarationem Sac. Congregationis præservat illas concordias, quæ alioqui reales sunt, & apte ligare succedentes, aliàs præservatio nulla esset earum concordiarum, quæ personales sunt, & obligant tantum auctores, secundum ea, quæ leguntur, & notantur in cap. Veniens supra de transact. At solæ confirmationes emanatæ ex certa scientia reddunt concordias reales, ut obligent Successores d. cap. Veniens, ubi expresse Innocen. Rota decis. 2. de confirm. util. vel inutil. in addit. in novis. Ergo &c.

33 Tertiò illa interpretatio scienda est, quæ proximior est menti statuentis, & per quam omnia conciliantur, & vitantur absurda. Talis autem est hæc, quæ non solum sequitur intentionem confirmantis Papæ, qui per confirmationes in forma communi non intendit præjudicare Ordinariis, cap. final. infra eod. cap. Ex parte de Constitut. c. Dudum s. final. de decim. & dictum est supra num. 20.



num. 20. Sed deservit etiam menti Patrum in Concilio, qui voluerunt tolli funditus omnia obstacula impediencia Capitulorum visitationes, scientes rara esse Capitula, quae non possent juri hujusmodi confirmationibus in forma communi, ut ex inspectione actorum ejusdem Concilii planè colligitur. Nec discrepat à sententia S. Congregationis, quae difficilè descendit in hanc partem, per quam confirmationes Apostolicæ præservantur, ex rationibus, & effectibus militantibus dumtaxat in confirmationibus ex certa scientia.

Accedit, quod glos. antepenult. in Clem. Dudum de sepulch. propter quam primum Rota, deinde Sac. Congregatio mota fuit, loquitur in pacto ex sententia confirmata ex certa scientia, ut ex lectura, & iis, quae Doctores ibidem dicunt, facile deducitur, Bellam. decis. 524. Quare in eisdem terminis tum decisionis Rotæ; tum Sac. Congregationis declaratio erit intelligenda ad tex. in l. 1. & ibi Barr. in princ. ff. de coniug. cum emancip. liber. cum similib. ut dixi in c. Quoniam, num. 23. supra de constitut. si sola ratio duplicis vinculi talem declarationem persuasisset, eadem ratione intelligi deberent præservatæ illæ concordiae, quae juramento vallatæ, & in super sententiis essent confirmatæ; quia triplex vinculus difficilè rumpitur, c. 1. de treug. & pac. quod tamen alienum est à sententia tum Rotæ, tum Sac. Congregationis.

35 Ad hæc verba declarationis debent accipi in potentiori significato, l. 1. ff. Si ager veſt. vel emph. per. Ideoque in dubio appellatione confirmationis intelligitur illa, quæ fit ex certa scientia. Jo. Andr. in c. penult. in fin. Abb. in c. Examinata n. 5. vers. Concludo infra eod. per tex. in c. Inter dilectos, de ſid. instr. & in c. Constitutus, junctâ glos. in vers. Confirmavit, de religioſ. domib. Ergo declaratio Sac. Congregationis non est intelligenda de ea, quæ fit in forma communi.

36 Quod verò dicitur Concilium tollere concordias, quæ suos tantum ligent auctores, c. 4. sess. 6. & c. 6. sess. 25. directè advertatur dispositioni Concilii, quod imò præservat concordias quoad hunc effectum, ut suos obligent auctores procederet propositio, quando Concilium loqueretur modo indicativo, quæ suos tantum ligent auctores. Cæterum cum loquatur modo imperativo, quæ suos tantum ligent auctores ostendit verba hæc accipienda esse non demonstrative, sed potius limitative, quasi Concilium derogando omnibus concordias, etiam illis, quæ aptæ erant ligare Successores, restringat obli-

gationem ad earum auctores dumtaxat, & secundum hanc intellectum textus inducitur ad præbandum sublatis esse, vel saltem modificatas concordias confirmatas etiam ex certa scientia; alias enim superflua videri posset derogatio Concilii: Siquidem omnes aliæ concordias, præter has confirmatas ex certa scientia, sunt personales, c. Veniens de transact. Postremò Concilium intelligendum de vinculo Confirmationis valido, quod fit simile aliis expressis in Concilio, quæ sunt cum matura consideratione. Unde sequitur ut sit intelligendum potius de vinculo Confirmationis ex certa scientia, quod est validius, & fit cym majori deliberatione: Confirmatio enim in forma communi ex se debile vinculum est, imò nec vinculum, quia non vincit, nec fit ad vincendum, sed ut magis timeatur ob reverentiam Sedis Apostolicæ, ut fultus dictum est supra, num. 19. & 22.

37 Et hæc sententiam in fortioribus terminis olim probavit Sac. Congregatio Concilii: nam proposito dubio, An decreto c. 6. sess. 25. intelligatur derogatum concordias confirmatæ à Papa in forma communi, si simul cum ea concurrat immemorabilis consuetudo; Sac. Congregatio censuit intelligi derogatum.

38 Porro cum Rota decidisset in una Salamantina jurisdictionis cap. 9. sess. 24. & cap. 10. sess. 23. loquentia de visitatione, & concessione dimissoriarum, non sustulisse consuetudines à Sede Apostolica confirmatas, Sac. Congregatio die 12. Januarii 1581. censuit decisionem Rotæ revocandam per ipsammet Rotam, tanquam decretis Concilii non congruentem, & permanendum in decretis aliis ab hac S. Congregatione in hujusmodi materia editis, rationibus adductis in duobus votis: & id significandum Rotæ Auditori, coram quo causa pendet in tertia instantia. Sed prius omnia referenda S. D. N. si Sanctitas sua id fieri probaverit.

Die 16. Januarii 1581. in Consistorio Sanctissimus respondit audiendum Episcopum: & instituit propter duplex vinculum.

Hanc decisionem videtur sequuta Rota coram Finetto in una Palentina in qua quærebatur, an Archidiaconus de Cavore posset visitare in territorio sui Archidiaconatus non servata forma decreti Concilii; & Episcopum visitantem impedire: & Rota sensu non posse nisi servata forma, non obstante vinculo simplici, scilicet consuetudinis, sententiarum Rotalium, & Confirmationis Apostolicæ.





Rangel F. 1980  
UANL  
FONDO  
A. PUBLICA DEL ESTADO



